

get werden) non sine magno civitatis damno. Nihil addam de usibus, quos alioqui ex metallurgia argentaria sentiunt mercatores, opifices ac ac ruricolæ, cum ex dictis jam utilitas satis patefcatur.

PARTIS SPECIALIS

CAP. V. & ult.

De

Hermundurorum Metallurgiæ argentariæ adjunctis.

SUMMARI A.

Adjuncta §. 1. distinguuntur: sunt enim vel decora, ad quæ pertinent §. 2. societatum festivitates, §. 3. insignia, §. 4. disciplina laudabilis & §. 5. lingua quasi peculiaris tam in colloquiis, quam §. 6. in cantilenis; (*Bergk-Reyhen*) vel sunt noxia v. g. §. 7. impedimenta varia, & incommoda, quæ metallarii §. 8. à lemuri-ribus tam §. 9. crudelibus, quam §. 10. & 11. mitioribus percipiunt. Vel denique sunt proficua, qualia §. 12. sunt variae utilitates argenti, eorumq; quæ cum illo simul eruantur.

§. I.

Adjuncta Hermundurorum metallurgiæ possunt distingvi, ut dicamus esse partim *decora*, partim *noxia*, partim *proficua*. Inter decora primo loco commemorandæ sunt *festivitates*, quas tam metallici fossores, quam excoctores quotannis, diversimodè tamen celebrant, prout ipsorum societates sunt distinctæ.

§. 2. Prima *societas metallicorum* die *Bergknapschaft* / dicta olim die *Hauer*, oder *Bergkbrüder*, *Zeche* / prisco & laudabili fœdere conjuncti, cujus præses est ipse metallicorum magister cum juratis viris metallicis, (*Bergkmeister* und *Geschworne*) his adjunguntur quatuor tribuni (*Zechemeister*) & duodecim seniores. Qui ex concessa sibi à summo Magistratu potestate, quotannis novos fratres legitimè natos recipere pos-

pos-